



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Imagines Sanctorvm Ord. S. Benedicti**

**Stengel, Carl**

**[Ort nicht ermittelt], M.DC.XXV**

XXVII. Maii. S. V. Beda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38356**

**S**V. BEDA puer septennis à parentibus Benedicto Abbati in Angliã inflituentus traditur. Vbi non solum monasticis institutis disciplinis, & omnigenã scientiarum eruditione instructus, breui admodum tempore, & quod mirabilius est, inter assiduas, monasticæ disciplinæ exercitationes, & continuam diu, noctuq; orandi, psallendi, legendi in templo curam, tantum profecit, vt maximum sua eruditione Ecclesiæ vniuersæ splendorem attulerit. Nam in omni disciplinarum genere Græcæ etiam, atq; Latinæ linguæ gnarus excelluit. Poëta, Rhetor, Historicus, Astronomus, Arithmeti<sup>9</sup>, Chronographus, Cosmographus, Philosophus, Theologus, ita eo tempore mirabilis, vt in Prouerbiis apud eius seculi doctiores abierit, *Hominem in extremo orbis angulo natum, versus orbem suo ingenio perstrinxisse*. Ei tria per totam vitam fuere familiaria: *Orare, Scribere, Docere*. Et quidem tanto in pretio doctrina eius habita fuit, vt ipse Pontifex Sergius famã virtutum & eruditionis eius commotus, eum ad se accersiri curauerit, quò diuino eius ingenio in arduis Ecclesiæ rebus vti posset.

Discipulos reliquit eruditissimos, qui varijs locis cum publicè, cum priuatim docuerunt, vnde postea in reliquum Christianum orbem doctrina fluxit vberissima. Tanta erat sacrorum librorum eius auctoritas, vt etiam in Ecclesiis publicè legerentur, & quia in lectionum sermonumq; titulis sanctum (quod adhuc inter mortales degeret) vocare non auderent, venerabilem vocitarunt: ob quam causam, in Ecclesia nomen, *Venerabilis* obtinuit. Tandem multis laboribus scribendo, docendoq; exantlatis, septem ante mortem hebdomadibus lethali morbo correptus, à diuinarum rerum studio minimè cessabat. Sacerò deniq; Ascensionis Dominicæ die, cum iam supremum agonem sentiret, imminere, ex aduerso Oratorij, in quo precari consueuerat, subiecto cilicio decumbens, lætus in hæc verba prorupit: *O Rex gloria, Domine virtutum, qui triumphator, hodie super omnes calos ascendisti, ne derelinquas nos orphanos*, qua in precatione vitam quoque finiit, tanta cum suauissimi odoris fragrantia, vt quotquot presentes aderant, in Paradiso viderentur sibi versari, *Ex eius vita*.





S.V. BEDA PRESBYTER E.D.  
 MON. ORD. S. BEN.  
*Facundat scriptis arentes BEDA Britannos  
 Scilicet exhaustas & cruce fundit opes.*

*Handwritten notes on the right edge of the page, including the name 'Bened' and Roman numerals 'III' and '5'.*

JVV 2

K 2

XXVIII MAII